

Si qua dies niveis unquam signanda lapillis  
nobis, et plausu si qua terenda fuit;  
Illa dies certe est, qua Tu, productus in auras,  
coepisti patrios exhilarare lares.  
Plaudimus hinc, redit, en tempus, vitae micuere  
quo cum sole simul lumina prima Tu ae!  
Non Tibi sollicitum Natalem reddit hic annus,  
Mars repetit quamvis ferrea bella ferox:  
Nam Tibi nascenti, nostri Tutela Lycei!  
fatales nerunt fortia fila Deae.  
Ergo agedum! *Socii*, mecum superate Heliconis  
culmina, queis juvenes nectere serta solent;  
huncce diem nam fas est carminibus celebrare,  
(ferreus est, quisquis carmina nulla canit.)  
Favet io! votis deus, et nova gaudia surgunt  
nobis, o *Socii*, vota canora date!  
In Te hilares animos, Doctor, nunc vertimus ecce!  
pro Te nunc ferimus vota precesque deo.  
Divitias etenim nobis gaudes aperire,  
quas gremio condit Graecia docta suo;  
Gaudes in Romana ac nos inducere prata,  
quae de Castalibus fontibus usque madent.  
Auges hinc nostros animos lingua geminata  
et studiis crescent nomina nostra Tuis.  
Quae rara ingenii facundia, quisve diserto  
Tullius ore Tibi dicere cuncta queat?